28 M n:1

Nobilissime Hugeni,

mitto Tibi Tragoediam Vitriarii nostri, à me, uti Tibi videtur, ὑπερβολικῶς laudatam. Nolo mihi fidem habeas. Tuum iudicium posco. Vide, quanta ingenia in occulto lateant, ut de hoc homine dici possit, quod de Democrito dixit Horatius, cuius prudentia monstrat

Summos saepe viros & magna exempla daturos,
Vervecum in patria crassoque sub aere nasci.

Perlege totam, videbis primo medium, et medium imo consentire. Numerum actorum atque levioris momenti nihil moror. Scripsit leges tragoediae Aristoteles, sed sine populi & posteritatis suffragio. Res pondera & plenam maiestatis Belgicae dictionem, adhaec phrasin poeticam, et multa acute et ingeniose dicta. Si errem, cogita senescere Barlaeum, et inter senum vitia esse ἀμβλυωπίαν et ἀκρισίαν. Vale Vir maxime, & me ama. Germina tua Constantinum et Christianum saluta. Amstel. pridie Cal. Jan. Anni 1642.

Quem ingredimur, felix Tibi multisque annis decurrat.

V.ae Tuae
observantissimus

Caspar Barlaeus.

OH VI 264

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
28M1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2927

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
28M1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2927

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
28M1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2927

Aen mijn heere
mijn heere Constantinus
Huijgens Ridder, heere van
Zuilichem, Raede ende Secretaris
van sijne Hoocheijt,

port

Hage

© Universiteitsbibliotheek Amsterdam
28M1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2927